



Hierin 7 Safeln.  
26. Juli 1899.

Ex libris

Hunnius, Arnstadt.  
(Thuring.)

1884.

13

DISSERTATIO MEDICA  
DE  
**PROXIMA FEBRIVM**  
ET IN SPECIE  
**INFLAMMATORIARVM**  
QVARVMDAM CAVSSA

Q V A M  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,  
D O M I N O

**D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO**  
MEDICIN. ANATOM. ET CHIRVRG. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
ACADEM. CAESAR. NATVRAE CVRIOSOR. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI.

**P R O G R A D V D O C T O R I S**  
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE  
SVMMISQVE IN VTRAQUE HAC SCIENTIA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CAPESENDIS  
DIE XII. DECEMBRIS cīc ICCC LXVII.

P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

**ADOLPH. FRIDERIC. THEODOR. BRÜCKNER**  
MEGALOPOLITANVS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

МУДРЯЗЯ АМІХОЯ

МУДРЯЗЯ АМІХОЯ

МУДРЯЗЯ АМІХОЯ

ГОНСИМІА ГЕРАДІОІ ОДІОДОРУМ

VIRO  
EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO  
ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO  
CHRISTIANO FRIDERICO  
TRENDELENBURG,  
MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO,  
EIVSDEM QVE  
APVD LVBECKENSES PRACTICO MERITISSIMO,  
AVVNCVLO MEO CARISSIMO,  
ET  
FAVTORI HONORATISSIMO,

**CVIVS**

**INCLYTVM NOMEN COLERE**

**ET**

**GRANDE EXEMPLVM IMITARI**

**SEMPER STVDVI,**

**NEC NON**

VIR O  
ADMODVM REVERENDO, AMPLISSIMO,  
ET DOCTISSIMO  
D O M I N O  
CHRISTOPHORO ADAMO  
BRÜCKNER,  
E SYNODO WOLDECHIENSI,  
QVAE FLORET  
IN DVCATV MEGALOPOLITANO - STRELITZIO,  
ECCLESIARVM QVARVMDAM MINISTRO MERITISSIMO,  
  
P A T R I   M E O   O P T I M O ,  
AD CINERES VSQUE COLENDO,  
C VI  
PRAETER DEVUM OMNIA MEA DEBEO;

V T

GRATVM ERGA HOS ANIMVM

ET

PIISSIMAM MENTEM PVBLICE TESTARER,

TANTORVM NOMINVM

V I R I S

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

SACRVM ESSE VOLVI

A V C T O R.

P R A E F A M E N.

## AMICO LECTORI

S. P. D.

## A V C T O R .

**P**auca tantummodo sunt, quae hoc titulo *Tibi dicam*. Conatu, quem frons libelli indicat, ductus dissertationem quamdam scribere tentabam tempore, quo circa naturam, caussas & symptomata inflammationum multa tam egregie conscripta videbam, ut vix dubitarem, anne haec sit aetas, qua tota medicorum res publica hanc rem, quasi litem coram iudice, agere & componere vellet. Quum ergo ex Patrum Conscriptorum huius Academiae consensu liceret mihi, medicam ciuitatem aspirare; putauit etiam e mea re nunc fore, ea, quae circa litem commotam cogitarem, placide proponere, & submittere eruditorum scrutinio. Sed quid ita? Naturam & caussas inflammationis erudite diu iam expositas esse, longus scriptorum numerus testabatur. Quin etiam plurimorum symptomatum explicationem con-

cinne

P R A E F A M E N

cinne exhibitam videbam, legebam. De sola inflammatoria febri longe aliter sensi. Quare? Quaeris? Scribendum mihi erat, de materia sollicitus eram, & demum haec omnium maxime placebat. Duplex sese offerebat febrium genus, quarum proximam caussam quaerere mihi proposueram. Alterum cum duro, alterum cum molli est pulsu. Vtriusque pertractatio nimis longa videbatur; ideoque illud, quod pulsu cognoscitur duro, elegi, eiusque proximam caussam eruere studui. At vix incepto labore sensi, absque substratis generalioribus sententiam meam stabiliri non posse. Hinc vides, me hoc in passu primo quaedam de caussa proxima febrium in genere, & deinde de febrium inflammatoriarum, quae sunt cum pulsu duro, proxima caussa dixisse. Scopum ergo perspicis, Benevoli Lector! Tuum nunc erit iudicare, vtrum attigerim eundem, vel minus. Quidcunque vero hac de re facturus sis, me, adolescentem, Tuae benevolentiae de meliori commendatum habeas. Vale.

D. Halae ad Salam.  
Prid. Non. Decembr. MDCCCLXVII.

DIS-



DISSERTATIO MEDICA  
DE  
**PROXIMA FEBRIVM**  
ET IN SPECIE  
**INFLAMMATORIARVM**  
QVARVMDAM CAVSSA.



§. I.

 Celeritas, qua motus systematis arteriosi & san- *Quid sit fe-*  
guinis per vasa progressus perficiuntur,  
quamuis sit varia in variis sanis hominum  
corporibus; nouimus tamen, eamdem in singulo quo quis  
subiecto respectu illius temperiei, aetatis et reliquarum fun-  
ctionum adeo accurate limitatam esse, ut eadem in singu-  
lis

A

lis corporibus nec augeri nec minui possit, nisi simul sanitas turbetur & vita inde detrimentum capiat. Hanc ita determinatam celeritatem motus arteriarum & cordis vocamus naturalem, cui praeternaturalem eiusdem motus celeritatem opponimus. Posterior iterum vel aucta vel diminuta talis esse potest, quarum utramque annunciat pulsus, vel iusto celerior ac frequentior, vel nimis tardus. Illum simulac in aegris tactu obseruamus pulsum; dicere solemus, febrim adesse. Haec est ratio, quae nos impulit febrem vocare *motum systematis arteriosi praeternaturaliter acceleratum.*

SCHOL. Multa quamquam pro defendenda hac febris definitione huic conuocare possem argumenta; tamen eadem omittenda potius esse putau, cum a scopo nimis aliena nec adeo abscondita sint, ut facile intueri nequeant; praeterea que nostra febris notio haud longe differat a definitionibus, quam Celeb. Viri iam iam de eadem exhibuerunt. Conf. EBERHARDI Patholog. gener. §. 29. nec non In G. FRIZI Dissert. inaug. habita sub Praef. Illustr. RÜCHNERI, de Secretione lactis muliebris &c. §. XXIX.

### §. II.

*Causa propter febris in irritabilitate vasorum non est quaerenda.*

Duae omnino sunt causae, quarum cooperatione motum systematis arteriosi exerceri Physiologia docet, vis nimirum arteriis & cordi insita, naturalis, & stimulus vasis applicatus. Priori irritabilitatis nomen imposuerunt recentioris aetatis medici, simulque suis experimentis euictum derunt, eamdem in fibris muscularibus, quae etiam arteriosi systematis structuram ingrediuntur, (vid. von HALLER.

Primi.

Prim. Lin. Physiol. §§. XXX. LXXXVII. & sequ.) latere. Haec autem vis cum ad naturam Corporis humani ipsam pertineat; nec vñquam hactenus sit auditum vel obseruatum, eam eosque praeter naturam increuisse, vt ideo praeternaliter acceleratus fuisset vasorum motus: vñanimi quasi consensu omnes, quos scio, medici in determinanda proxima febris causa arteriarum & cordis irritabilitatem silentio praeterierunt, consentientes eamdem potius in praeternaturali quodam systematis arteriosi stimulo vnicē esse quaerendam, vti fere cuncta circa hanc rem scripta testantur. Legi ita latae & nos quidem in progressu obedientiam praestabimus.

SCHOL. Nihilominus vero, me sentiente, negari nequit, maiorem aliquem irritabilitatis gradum saepius, si omnino, caussam esse, ob quam vnum corpus magis in concipiendam febrim primum videmus altero. Ideone maior irritabilitas caussa febrium praedisponens salutari mereatur?

### §. III.

Quodsi verum est, quod tamen physicorum nemo negabit, caussam effectui suo esse proportionatam; ideoque ex effectu aucto auctam caussam intelligi posse: liquet *caussa prox. febrium in genere qua-*  
*ris sit?* *caussam proximam febris in genere esse auctum systematis arteriosi stimulum.* Febris enim est praeter naturam acceleratus, sive respectu celeritatis suae auctus vasorum arteriosorum motus (§. I.); ideoque auctam motus huius causam

sam pro sua agnoscit. In determinanda vero febrium proxima causa a vasorum irritabilitate abstinentum est (§. II.); quare causa proxima febris in stimulo systematis arteriosi praeternaturaliter aucto solummodo quaerenda erit.

SCHOL. Quod & quomodo per datam causam febris excitari possit, & quidem immediate, id quod ad proximam causam omnino requiritur, ex dictis §. I. & ipsis corporis humani natura sponte sua elucescit. Quam ob causam inutile fore putauit, plura hacten re verba facere.

## §. IV.

*In febribus  
vasis nouus  
accedit si-  
mulus.*

Augeri dici solet quantitas, si eidem manenti noua additur. Quare cum in febre auctus sit vasorum arteriosorum et cordis stimulus (§. antec.); naturali harum partium stimulo nouus antea accedat necesse est. *Ad febrem ergo excitandam necessario requiritur, ut praeter stimulum naturalem, qui ipse sanguis est, nouus adhuc idemque praeternaturalis ad sistema arteriosum applicetur.* Posterioris hoc in passu praecipuam rationem esse habendam, rei natura docet.

## §. V.

*Duplex est  
fibrarum  
musculari-  
um stimulus.*

Experimenta et principia physiologica vberime monstrant, dupli modo stimulum ad muscularum fibras ita applicari posse, ut harum motus, qui est constrictorius, inde nascatur. Primo enim ipsae carneae fibrae a stimulus immediate iisdem applicato adeo affici solent, ut subito bre-

uiores

uiores euadant et constringantur, id quod v. HALLER Perilliustr. testatus est, (v. eius Prim. Lin. Physiol. §§. CCC. & CCCII.) & nos quidem etiam in variorum animantium corde ac talpae muscularis obseruauimus. Deinde vero idem muscularium fibrarum motus quoque euenit, si stimulus quemdam neruis, qui in musculares fibras abeunt, applicavimus, quod iterum modo laudati Viri testimonio confirmari licet (v. v. HALLER I. c. §. CCCII.). Quo in casu stimulus a loco factae irritationis per totum nerui tractum usque ad ipsas muscularum fibras propagari videtur. Quae cum ita sint, liceat nobis discernere fibrarum carnearum stimulum in eum, qui mediate applicatur & aliunde ad ipsas propagatur, & illum, qui immediate, aut ipsis muscularum fibris absque interueniente neruo, applicatur.

## §. VI.

Ex praemissis nouinius, febrem maxime pendere a nudo quodam & praeternaturali stimulo ad fibras muscularares systematis arteriosi applicato (§. IV.). Quum vero duplex in genere sit stimulus fibrarum muscularium, nimirum vel mediate vel immediate applicatus (§. V.); stimulus vasorum nouis, ad febrem excitandam requisitus, duplex quoque esse potest. Quam ob rem fatendum est nobis, *duplicem esse febris proximam caussam possibilem, dum nimirum accedens stimulus vel mediate vel immediate vasis applicetur.*

Duplex est  
caussa prox.  
febrium pos-  
sibilis.

## A 3

## §. VII.

## DISSERTATIO

§. in VII.

*Vtterior  
eiusdem ex-  
pliatio.*

E dupli hoc fonte febrem profluere posse, vt eo magis elucescat, illius vltiorem hic subnectamus descriptiōnem. *Immediate* ad vasa sanguisera arteriosi generis stimulum applicari posse ex ipsorum structura, modo ex toto febre, vti in corde, modo ex parte tantum musculosa, vti in arteriis, per se liquet; imprimis si simul etiam rite perpendamus, sanguini, vasis contento, varia acria admisceri posse, & re vera saepius admisceri, quibus musculares vasorum fibrae irritari & ad vegetiorem ac iusto celeriorem motum incitari possint. Vnde simul intelligi potest, stimulum immediate vasorum fibris motoris applicari non posse, nisi intra vasa ipsa haerēat idem. Nam ea est vasorum conditio, vt ab extra ad eorum musculares fibrillas stimulus immediate haud commode applicari possit; nec vnquam ideo obseruarunt, hoc factum esse. *Mediate* vero, seu per propagationem stimulum ad vasa prouenire posse, itidem ex eorumdem compositione percipimus. Vasa arteriosa aequa ac cor fibris muscularibus gaudent, vt repetita vice iam mouimus. Ex cerebro vero multos neruorum ramos ad partes hasce descendere & in easdem distribui, attenta anatome docet (vid. v. HALLER Prim. Lin. Physiol. §§. XXXII. CCCLXIV. & LXXXIX. ac seq.). Cum ergo omnia ad stimulum, per propagationem applicandum, requisita reperiantur in systemate arterioso; propagatio stimuli ad fibras carneas

carneas vasorum omnimodo possibilis est. Imo cum desint iustae rationes, quarum ope probari possit, dictis vasorum neruis applicari non posse stimulum; nescio sane, qua de causa posterioris census stimulus systematis arteriosi, non aequa possibilis haberi queat, ac immediate applicandus. Demum hic notari meretur, stimulum vasis per propagationem applicari non posse, nisi idem forinsecus ad vasa proveniat, quod medicum quemque absque vteriori dilucitatione patet. Hinc nouum inter proximas febrium caussas resultat discrimen.

## §. VIII.

Omnis pathologicae rei peritus sponte fatebitur, febris proximam caussam saepius esse alienum quoddam sanguini aliisque humoribus admixtum; quamvis alieni huius natura saepe lateat, & varia esse videatur. Sic tamen nouimus, malignarum febrium proximam caussam ut plurimum in acri quodam putrido, sanguine contento, consistere, & cattarrhales febres ex aliquo alieno viscido humoribus admixto immediate ortum ducere. Eiusmodi aliena, cuiuscunque genii & indolis in multis reliquarum febrium sint, vel resistendo vel suo iam genio suaque natura stimulum exhibent, qui naturali vasorum stimulo accedens febrem excitat (§§. III. IV.). Simul vero etiam stimulus huiusmodi, cuius est acrimonia aut visciditas sanguinis, in ipsis vasis continetur, oportet. Quae autem cum ita se habeant; patescit

*stimulus va-  
sis immedia-  
te applica-  
tus re vera  
saepè est fe-  
bris prox.  
caussa.*

*stimu-*

*stimulum immediate vasis applicatum, inque iisdem haerentem, quem possibiliter esse febris proximam caussam modo (§§.VI.VII.) monstrauimus, haud raro etiam veram obviae cuiusdam febris proximam caussam esse.*

## §. IX.

*Muli eum-  
dem pro vni-  
uersali fe-  
brium prox.  
caussa ha-  
bent.*

Imo vix opus est, demonstrasse, aliquas febrium species proxime nasci ex stimulo vasorum, qui in ipsis residet; cum haud pauci sint medicorum, qui ob frequentissimum hunc febris ortum eundem pro vnicō ac vniuersali omnium febrium habeant, adeo ut credant, vnam tantum & quidem hanc dari proximam febris caussam. Quam ob rem alii eamdam in alieno quodam, ut dicere amant, sanguine contento omnino quaerunt. Alii vero suspicantur, febrem semper oriri a caussa intra vasa latitante. Alii denique dicunt, febris caussam proximam in genere ad stases & obstrunctiones reduci posse videri; e. s. p. E quibus iam satis liquet, multos in determinanda proxima febrium caussa tantummodo istum vasorum stimulum praeter naturalem accusare, quem immediate applicatum supra diximus, quique vna cum sanguine in ipsis vasorum cauis habitat.

## §. X.

*Institutum.*

Quibus praemissis meum fore iudico, antequam ultius progrediar, nostrum, ad quem tendimus, scopum breuibus indicare. Liceat ergo mihi, sincera aeqtie ac placida mente ea hoc in passu proponere, quae nobis contra com-

memo.

memoratam opinionem (§. antec.) pugnare videntur. Quare demonstraturi sumus, caussam febrium proximam non vnicē esse stimulum immediate vasorum fibras irritantem, sed etiam febres deprehendi, quae ex opposito fonte (vid. §. VI.) fluere debeant, huiusque census imprimis esse inflammatoriarum febrium aliquas species. Quem in finem nobis probandum proposuimus, 1) in febribus nostri census deficere stimulum vasorum in iisdem haerentem, quatenus caussam illarum proximam; 2) re vera praesto esse in iisdem febribus stimulum quemdam aliunde forinsecus ad sistema arteriosum propagatum; 3) eundem denique stimulum etiam sufficere ad producendum α) morbum datum β) eiusque symptomata. Sub fine demum ad varias, obviam nobis ituras, quaestiones respondere studebimus.

## §. XI.

Ne in determinandis iis, quae ad inflammationem pertinent, aut per eamdem fieri possunt, iusto longiores simus *Inflammatio quid sit?* in progressu; iuuat hic notionem, quam plurimi medicorum nobiscum de hoc morbo alunt, praemittere. Est igitur *inflammatio* partis cuiusdam corporis animati *tumor rubens, calidus praeter naturam, & dolens.*

SCHOL. Non ignoramus earum sententiam, qui loco doloris in inflammationibus obuii ponit malunt sensibilitatem aegrae partis praeternaturaliter augetam. Ut vero et his satisfiat, monebimus tantum, experientia teste quemlibet inflammatione laboran-

B tem

tem ingratam aliquam, quamvis non semper vehementem, laesae partis sensationem percipere. Nec adeo difficile cognitu esse videtur, unde sit sempiternus hic dolor? Posita enim praeternaturali partis cuiusdam sensibilitate etiam illae eiusdem mutationes facile dolorem excitabunt, quae alioquin vix et ne vix quidem perceptae fuerunt. Quare ipse vasorum motus iam hoc in casu sufficit, ad odiosam et ingratam sensationem producendam, quam pulsatorium dolorem dicunt; ut reliqua omittamus, quae accedere solent frequentissime, et sensibilitatem auctam in acutum sane dolorem vertunt, veluti fit in Pleuritide, Paraphrenitide, Phlegmone &c.

### §. XII.

*Febris inflammativae notio & species.*

Haud raro fit, vt inflammatio, imprimis grauior, febrim excitet acutam, continuam, remittentem. Nonnunquam inflammatio vero tota quoque decurrit absque subsequente hac febre; quae, si adest, modo grauior, modo leuior, & variis symptomatibus accidentalibus stipata appetet. Haec febris, quam merito igitur *symptoma*, aut, si mauis, effectum *inflammationis dicitur*, *inflammatoriae nomen accepit*. Cuius autem duplex occurrit species, aegri pulsu dignoscenda. Altera forti & duro pulsu fese prodit, altera vero e molli ac debili arteriarum iectu cognosci potest. Illius exemplum benigna Pleuritis, huius vero Peripneumonia vera exhibet. Nos quidem hac vice imprimis illam febrim inflammatoriarum speciem, quae est cum pulsu duro, considerabimus. Hinc & ea, quae modo ante (§. X.) diximus, accuratius interpretari queunt.

### §. XIII.

## §. XIII.

Multa quamlibet & varia enumerentur a medicis februm inflammatorum signa; ea tamen species, quae in nostrum venit censem (§. antec.), optime & certissime ex sola pulsus duritie, vna cum eiusdem celeritate, cognosci potest. Cetera enim omnia signa fallunt interdum; hoc nunquam. Inflammatio cum cunctis suis proximis symptomatis (vid. §. IX.) saepius adeo abscondita haeret, vt ne minima quidem certa eiusdem nota appareat. Quo in casu medicus non ex inflammatione, neque ex singulis eiusdem signis, sed ex mera pulsus duritie & febre omnem latentis morbi genium eruere debet. Deinde saepe etiam fieri solet, vt alia quaedam febris cum inflammatione ita complicata deprehendatur, vt febris aut prior & caussa sit, aut nullum omnino cum simultanea inflammatione, nisi vniuersalem, habeat nexum. Quibus positis inflammationis & febris generaliora signa iterum neutiquam tibi sufficient, ad rite exinde intelligendam praesentis mali naturam. Pulsus vero consulas. Quem simulac celerem quidem, attamen non durum, percepis; intelliges, tibi hoc in passu non cum nostri census inflammatoria, sed cum alia quadam febre rem esse. Qua de caussa multi celeberrimorum practicorum recte monent, in diagnosi inflammatoriae febris pulsus durum multum valere. (Conf. van SWIETEN Commentar. in BOERHAAV. Aphorism. Tom. II. §. 773. no. 3. nec non BA-

*Quidnam  
principium  
febris huius  
sit signum?*

GLIV de Prax. Med. Lib. I. Cap. IX. de Pleuritide.). Vnde  
demum colligimus, 1) certissimum febris inflammatoriae no-  
strae speciei signum esse duritatem pulsus, 2) huiusque ideo,  
in stabilienda de iisdem theoria, praecipuam rationem esse  
habendam. Ergo plura de hac re infra.

§. XIV.

*Duplex est  
vasorum sti-  
mulus praet-  
ernat. intra  
eadem haer-  
entes.*

Qui immediate vasis applicatur, praeternaturalis stimu-  
lus, quique intra eadem haerere debet, dupli modo fe-  
brim excitare, eiusque proxima caussa fieri potest; dum  
scilicet vel resistendo vel irritando ad celeriorem motum sy-  
stema arteriosum incitat. Re vera enim oriri in corpore no-  
stro mutationes praeternaturales, quibus liber sanguinis per  
vasa circuitus aliquo modo impediatur, ideoque cordis &  
arteriarum vi resistentia quaedam ponatur, itaque resistendo  
augeri naturalem vasorum stimulus, et febrim produci,  
omnes nouimus, edocti exemplo illarum febrium, quae ex  
nimis denso aut viscidō sanguine ortum trahunt. Hae ergo  
nascuntur ex stimulo praeternaturali, immediate applicato,  
resistenti. Praeterea autem interdum etiam praeter natu-  
ram inept vasis stimulus, qui sua ipsius natura, indole sali-  
na, acri, vasorum musculares fibras pungit, vellicat, irri-  
tat, itaque ad naturali celeriorem commotionem eas incitat,  
febrimque generat. Quod fere quotidie docent febres,  
quae ex acri quodam alieno, sanguini admixto nascuntur.  
Hinc stimulus vasorum praeternaturalis, qui intra vasa haer-  
ens,

*fitat, commode in resistentem & acrem seu irritantem dis-*  
*pesci potest, quorum notiones ex praedictis iam patent.*

§. XV.

Febrem inflammatoriam ex acri quodam alieno, irri-  
 tante, sanguini admixto ortum ducere, neminem scio, qui  
 affirmauerit. Nec adeo mirum hoc videri potest; cum  
 quaelibet sane desint argumenta, quibus eiusmodi opinio  
 euinci, firmari aut saltem defendi possit. Praeterea cum  
 non ignoremus, raro vel numquam fieri tam subitaneam  
 sanguinis mixtionis depravationem, quam ea esse deberet,  
 quae ex inflammatione nata febrem procrearet; imo cum  
 intra omnes constet, in sanissimis corporibus, in quibus  
 nullo iure sanguinis acrimoniam quamdam suspicari possu-  
 mus, oblata causa subito oriri inflammationem cum subse-  
 quente sui generis febri: iure meritoque dubitamus, quin  
 negamus, febris inflammatoriae proximam causam esse acre  
 quoddam, una cum sanguine intra vasa haesitans.

*Causa prox.*  
*febris in-*  
*flamm. non*  
*est acre intra*  
*vasa ha-*  
*rens.*

SCHOL. Caue autem, ne hinc concludas, nos omnem in fe-  
 bribus inflammatoriis depravatam mixtionem humorum penitus  
 negare et reiicere. Etenim non ignoramus, re vera interdum  
 fieri, ut inflammatoria febris et sanguinis cacochymia simul eum-  
 dem torqueant aegrum. Monemus tantum, huiusmodi aeria ac-  
 cidentalia esse, nec in omnibus huius speciei febribus, nec sem-  
 per in iis esse, ideoque eadem neutiquam pro causa illarum pro-  
 xima accusari debere.

B 3

§. XVI.

## §. XVI.

*Sententia  
aduersario-  
rum de caus-  
sa prox. fe-  
bris inflam-  
matoriae.*

Qua in sententia (§. antec.) omnium fere medicorum consensu gaudeo, qui inde liquet, quod plurimi aliam esse febris inflammatoriae proximam caussam docuerint. Existimarunt autem, eamdem esse in aliqua resistentia vi cordis & arteriarum opposita quaerendam, quam sententiam paucis adhuc magis exponemus. Sunt nimurum, qui credunt inflammationem ortum trahere ex praegressa quadam vasorum minimorum obstructione, eamdemque ideo aptissimam esse, ad impediendum liberum sanguinis transfluxum per totum systema arteriosum. Quamuis etiam non desint porro, qui aliam sibi formauerint inflammationis notionem; tamen plurimi in eo conueniunt, quod compressis aut obstrutis per inflammationem quibusdam vasis, & ita impedito transitu sanguinis per eadem, adeo turbetur circulus sanguinis, vt sat notabilis inde nascatur cordi resistentia, quae fiat subsequentis febris inflammatoriae caussa.

## §. XVII.

*Responsio ad  
eandem.*

Quibus ut iuste respondeamus, iisdem sequentia pendenda, & ad nostram febris inflammatoriae speciem tantum hoc in passu applicanda, offeremus: I) Opinio tantum est, nullo indubitato arguento firmata, qua affirmatur, omnem inflammationem secum ducere obturationem aut compressionem vasorum. Consequenter etiam hypothetica est illorum de causa proxima febris inflammatoriae sententia.

tia. 2) Ponamus, veram esse aduersariorum hac de re sententiam; & omnem obstructionem veram semper subsequi debet febris, quia posita caussa proxima etiam ponatur effectus necesse est. Contrarium haud raro docet experientia. 3) Iterum ponamus, per inflammationem produci vasorum quorundam obstructionem aut compressionem; num vero sufficiens hinc nascetur obstaculum vi cordis & arteriarum, sufficiens, inquam, ad excitandam febrem? Dubito hac de sufficientia: primo enim non ignoramus, frequentissimas in vasis minoribus, quae occupat obstructio, occurreterre anastomoses, quarum ope affluens sanguis commode ita deriuari & in alia vasa, non obstructa, deduci possit, ut nullum aut minimum saltum obstaculum inde oriatur, & cor nullum hinc impedimentum sentire queat. Deinde nouimus inflammations occurrere; quae minimam occupant corporis partem, minimamque ideo resistentiam, pro aduersariorum sensu, vrgenti arterioso systemati offerunt, quae que nihilominus impetuosas & vehementissimas excitant febres. Haec diu iam monuit Illustr. van swieten, cuius consensum hoc in passu veneror. (Conf. Autoris laud. Comm. in BOERHAAV. Aph. §. 382. no. 8.).

### §. XVIII.

Aliud demum adhuc accedit argumentum, aequali fortitudine contra vtramque opinionem, hactenus impugnatam (§§. XV-XVII.), militans, quod pro nostro quidem

*Aliud  
contra ad-  
uersarios ar-  
gumentum.  
de*

de codem conceptu hoc est: Constantissimum febris inflammatoriae nostri census symptomata, quin certissimum eius signum est pulsus durities; ideoque eiusdem praecipua ratio habeatur oportet in stabilienda inflammatoriarum febrium theoria (§. XIII.). Nulli vero eamdem haec tenus ex impugnatis a me hypothesibus (§§. antec.) accurate explicarunt, siue eius rationem ex supposita proxima obviae febris causa demonstratam exhibuerunt, id quod innumeris fere libris testantur. Inutiles ergo sunt istae sententiae, & eo longius a vero alienae; cum ne primarium quidem & frequentissimum febris commemoratae symptomata illarum ope exponi & intelligi potuerit. Nonne hanc ob culpam e medicorum scientiis istae eliminandae forent?

SCHOL. Satis quidem cogitum habemus, quosdam pulsus duritatem hoc in casu deriuare ex densitate humoris sanguinei, in vasa agentis. Valde autem dubitamus, an hi rem acu terigerint; cum saepe etiam durus adsit pulsus, vbi sanguis non solum non densus, sed resolutus potius est; imo cum e contrario mollis haud raro obseretur pulsus in iis aegris, qui mira sanguinis desintate laborant.

### §. XIX.

*Ergo causa prox. febris inflamm. nostrae quaerenda est in XVIII.) febris inflammatoriae indicatae speciei sit proxima caus.*

caussa: merito colligimus inde, *caussam* hanc intra vasa mi-  
nime esse querendam (§. XIV.), eamque *potius esse stimulo ex-*  
*terne ad va-*  
*sa propagata-*  
*ro.*  
nime esse querendam *systematis arteriosi praeter naturale*, aliunde  
*ad idem propagatum* (§. VI.). Quod eo magis elucescat in  
progressu, quo modo demonstrare studebimus, commode  
& re vera ex inflammatione, quam febris huius remotam  
esse caussam omni iure supponimus, nasci saepius *stimulum*  
*vasorum praeter naturale*, aliunde per vasorum nervos ad  
eadem propagatum, id quod alteram thematis nostri par-  
tem (§. X.) explebit.

## § XX.

Sequentium ratio nunc accuratam & distinctam doloris  
notionem praemittendam a nobis postulat. At difficilis res  
est; cum vix sensations reliquias inter & dolores iustas indicari  
limites possint. Attamen hoc docet experientia, hoc  
docent omnium medicorum circa *dolorem* scripta, eundem  
*esse praeter naturale aliquam & ingratam* seu *odiosam sensa-*  
*tionem*. (Conf. van SWIETEN l. c. §. 220. item GAVBII  
Institutionum Pathol. Med. §. 670. nec non STOELLERI Dis-  
sert. inaug. habitae sub praef. Illustr. I. IVNCKERI, de dolo-  
ribus &c. §. XVII.).

Dolor quid  
sit?

SCHOL. Nonnulli dolorem etiam dicunt auctae sensationis  
speciem. Cum autem dolor quoque loca occupet, in quibus nulla  
ante fuit sensatio; nescio, quaenam hoc in casu aucta sit sensatio.

C

§. XXI.

## §. XXI.

*Requisita.  
quaedam  
sensationis.*

Sensatio, nimirum externa, cuius solius hoc in passu rationem habemus, est idea ex corporis affectione seu mutatione oborta. Physiologica principia docent, *eam non nasci, nisi aliqua cuiusdam nerui mutatio praegressa*, eadem per totum neruum in cerebrum, aut sis commune sensorium, propagata, & per eamdem *ipsum cerebrum mutatum sit*. (Conf. v. HALLER Prim. Lin. Physiol. §§. CCCLXV, sequ.). Haec ita se habere omnes confitentur medici, quamuis de modo, quo fiant talia, dubitent adhuc, & longe dissentiant.

## §. XXII.

*Consecutari.  
un.*

E quibus sponte sua liquefcit, *dolorum quoque esse non posse; nisi antecedat nerui cuiusdam aut plurium neruorum affectio & mutatio*, eademque per affecta filamenta neruea in organum sensorium commune sive cerebrum propagetur, denique inde *ipsius cerebri fiat alteratio & mutatio* (§§. XX. XXI.)..

SCHOL. I. Mutatio haec cerebri, proxima doloris physica causa, de altera tantum cerebri parte, quae thalamus est nerui affecti, intelligi vult. De totius enim cerebri mutatione sub dolore producta mox pluribus.

SCHOL. II. Cuiusmodi sit nerui affectio, quae dolorum antecedat necesse est, et quomodo differat eadem ab affectione nervorum ad ceteras sensationes requisita multis hic exponere superfluum foret; cum circa hanc rem celeberr. Virorum scripta legi

legi iam possint. Vid. e.g. v. SWETENM. l. c. Tom. I. §. 220.  
& sequ.

## §. XXIII.

Quum porro, vt in praemissis saepius iam notauiimus, effectus semper sequi debeat rationem caussae efficientis; & dolor respectu vehementiae suae valde differat ita, vt modo acutissimus & intolerabilis, modo acutus tantum, modo e contrario obtusus solummodo sentiatur: verum quoque est, mutationem cerebri, sub dolore productam, quae doloris causa proxima dici omnino meretur, variam esse; nimirum pro diuersitate doloris mox vehementiorem, mox leniorem. Quibus simul euincitur, *vehementem dolorem non esse, nisi cum vehementi cerebri aut sensorii communis alteratione* (§. XXII.).

*Vehementis  
dolor est cum  
vehementi  
communis  
sensorii ab  
alteratione.*

## §. XXIV.

Per sensorium commune stricte hic intelligimus medullosam cerebri partem, e qua omnia & singula nervorum fila, seu fibrae eorum, ortum ducunt. (vid. von HALLER l. cit. §. CCCLVI.). Quod cum ita sit constructum, vt e meris fibrillis nerueis, solidis, iuxta inuicem positis, & minimis tantum vasculis intertextis constet, vt Anatomia docet: liquet, vehementem partis cuiusdam huius sensorii communis mutationem, quae, veluti in cunctis corporibus, non nisi per motum aliqualem fieri potest, facile per totum istud propagari adeo, vt quaelibet fibrilla nernea, pars cerebri, huius

*Vehementer  
alterata una  
cerebri parte  
totum cere-  
brum altera-  
tur.*

mutationis particeps fiat. Quin cum certissimum sit ex physi-  
cisis de corporum motu principiis motum vehementiorem  
alterius corporis semper in quaecunque alia proxime adia-  
centia & contigua propagari, vt ideo semel receptum mo-  
tum aut impulsum corpus corpori semper communicare vi-  
deatur: non est, quod dubitemus vltierius, rem etiam re-  
spectu sensorii communis ita se habere, ideoque *vehementer*  
*mutata*, affecta aut turbata *altera cerebri parte totius orga-*  
*nis sensorii communis mutationem inde enasci*. Quod tamen  
de cerebro ceteroquin sano tantum intelligi potest.

§. XXV.

Eiusdem ul-  
terior pro-  
batio.

Ne autem nostro quidem iudicio magis, quam par est,  
tribuere videamur, eamdem hanc (§. antec.) sententiam aliis  
adhuc, ab experientia desumendis, argumentis confirmare  
lubet. Quoties circa mutationem cerebri & inde pendentes  
reliqui corporis mutationes in viuis animalibus, anatomico  
cultello subiectis, experientiam consuluius, toties fere  
praeter alia varia & sequentia videre nobis licuit phae-  
nomena: 1) Intruso aut stylo ferreo aut cultello per medium  
medullae cerebri partem animal toto corpore vel serius vel  
citius conuulsus fuit; 2) Semota superiori substantia corti-  
cali & ex instituto irritata cerebri medulla, post alias tem-  
poris minutas conuulsio vniuersalis inde resultauit. Haec-  
ce tamen phaenomena non nisi cerebro ceteroquin sano &  
ab omni pressione, vel ab effuso sanguine vel a quacunque  
alia

alia cauſſa nata, libero apparuerunt. Eadem experimenta ſimiſi ſuccesſu ZINNIVM iſtituiſſe legimus in eiusdem Diſſert. inaug. iſtente experimenta quaedam circa corpus calloſum &c. in vivis animalibus iſtituta. (vid. huius scripti part. II. Experim. IV. V.). Haecce porro cum physiologi-  
cis principiis comparauiimus. Quae autem cum teſtarentur,  
motum muſculorum ex cauſſa a fibris muſcularibus adeo  
aliena & ſemota fieri non poſſe, niſi facta ſit neruorum mu-  
tatio eademque per totum neruum propagata ſit ad ſyſtema  
muſculoum (conf. §. V.): nefas putauimus ulterius dubita-  
re, an factae illae aliquarum fibrarum cerebri irritationes  
per totum ſenſorium commune, quaſi communenſi omnium  
neruorum truncum, propagatae, indeque per omnes & ſinguli-  
gulos neruos ad muſculos delatae ſint, & hinc dicta pro-  
dierint ſymptomata.

SCHOL. Quamuis ſuperuacaneum eſſet, ſi plura adhuc aliunde  
colligerem obſeruata noſtræ parti beneuola; tamen non poſſum  
non adnotare, valde analoga eſſe noſtris, quae in neruis,  
quorum truncus ligatura conſtrictus erat, HALLERVUM obſeruauisse  
legimus in Elem. Physiol. T. IV. p. 324.

### §. XXVI.

Nemo ſane hodiernæ aetatis medicorum ignorat, mu-  
tato & alterato vniuersali quorumdam neruorum trunco  
hanc mutationem per omnes & ſingulos eiusdem trunci ra-  
mos ita diſpergi, vt quilibet eorumdem huius mutationis,

C 3

*Mutatio tota  
Senſorio com-  
muni muta-  
tur totum  
ſyſtema ner-  
uoum.*

tionis, toti trunco illatae particeps fiat. Quum igitur e sensorio communi omnes nerui ortum ducant, ut ante diximus (§. XXIV.); ideoque illud pro vniuersali omnium neruorum trunco merito haberi possit: videmus, *mutationem totius sensorii communis cogitari non posse, nisi cum mutatione omnium & singulorum neruorum*; si modo cetero-quin sana sit substantia neruosa. Id quod simul etiam expe-  
rimentis modo (§. antec.) enumeratis confirmatur.

### §. XXVII.

*Vehemens dolor est cum alteratione totius systematis neruoso-  
rum.* Quibus ergo substructis luce clarior est, *in quoconque vekimenti dolore nasci totius systematis neruorum mutationem.* Etenim vehemens dolor esse nequit, nisi cum vekimenti cerebri seu organi sensorii communis alteratione (§. XXIII.). Haec autem quamvis in vna alteraue cerebri parte tantummodo oboriatur; inde tamen per totum il-  
lud propagatur (§§. XXIV. XXV.), ideoque totum sys-  
tema neruosum occupat, (§. XXVI.). Vnde dicti veritas co-  
gnoscitur.

### §. XXVIII.

*Inflammatorius dolor saepius est vehemens.* Inflammatorius dicitur dolor, quo afficitur pars inflam-  
mata, seu qui ipsius inflammationis est symptoma. Negari  
licet non possit, hunc nonnumquam obscurum aut obtu-  
sum tantummodo esse, imprimis si partes corporis minus sen-  
sibles, veluti viscera quaedam, occupauerit: tamen pluri-  
morum aegrorum querela testatur, se illum sat acutum  
sentire.

sentire. Quin non desunt exempla, quae docent, eumdem vehementissimum & intolerabilem euassisse. Imo occurunt etiam inflammationum species, quae semper ingentis gradus dolore stipatae sunt, v. gr. inflammatio auris interni, muscularum intercostalium, &c. Experientia ergo cuiuslibet sciens, dolorem inflammatoryum saepius esse acutum & vehementem.

### §. XXIX.

Quae si rite ad praecedentia (§. XXVII.) referuntur, *Conjectaria*. absque longa cogitationum ambage cognoscimus, dolorem inflammatoryum saepe secum ducere omnium nervorum mutationem seu alterationem. Vnde porro sponte liquefcit, *sub dolore inflammatoryio* saepe etiam commoueri aut, si maius, alterari cordis & vasorum nervos.

### §. XXX.

Mutatio ergo nervorum systematis arteriosi cum ad-  
sit saepe in dolore inflammatoryo (§. anteced.), sive, quod  
perinde est, in ipsamet inflammatione, & nervi quilibet pro-  
singulari sua natura quemcunque receptum motum per se  
ipsos propagant vsque ad fibras muscularares, in quas abeunt;  
hisque fibris ita motum communicent, vt inde nouis quasi  
muscularium fibrarum motus nascatur (conf. §. V.): pates-  
cit inde, re vera in inflammatione esse stimulum systematis  
arteriosi praeternaturalem, qui aliunde forinsecus ad idem  
*Est ergo in*  
*inflammatione saepe*  
*stimulus*  
*praeternat.*  
*aliunde ad*  
*vasa propa-*  
*gatus.*

*propaga-*

*propagatur.* Quibus autem cognitis nouimus, praedictam (§. XIX.) febris inflammatoriae proximam caussam re vera locum habere in inflammatione, ideoque verisimillimum esse, hanc etiam veram esse febris nostri census caussam. Restat demum ut demonstremus, praesentem hunc ad vasa propagatum stimulum omnino quoque sufficere ad excitandam inflammatoriam huius speciei febrim & producenda eiusdem symptomata (§. X.).

### §. XXX.

*Lemma.*

Quum eo maior semper debeat esse vis, quo maior est effectus, quem eadem praestare debet, ut mechanica & physica docent principia; patet, vim aptam ad maiorem aliquem effectum edendum multo magis etiam sufficere ad producendum effectum eiusdem speciei minorem. Hic loci cum non sit, plura conuocare argumenta, quibus veritatem hanc euincere possem; imo cum eadem omnibus sat nota & perspecta sit; liceat nobis pro fundamento sequentium hic vti demonstratum supponere: *omne id, quod sufficit ad maius, sufficit etiam ad minus eiusdem speciei perficiendum.*

### §. XXXII.

*Duplex fi-  
brarum mu-  
scularium  
ordo.*

Quae in humano aequa ac multorum aliorum animalium corpore deprehenduntur carnae aut musculosae fibrae, quaeque motui imprimis destinatae esse videntur, merito in duos distinguntur ordines. Quorum alter eas conti-

net

net fibrillas carneas, quarum actiones vel instituendae vel  
omittendae a libera mentis voluntate pendent; dum ceteras  
earum motus conditiones per situm & annexionem ipsarum  
determinantur. Fasciculus ex hisce fibris parallelo situ ad  
inuicem positis & recta ut plurimum linea prodeuntibus,  
musculus in specie ab anatomicis vocari solet, cuius census  
sunt v. c. musculi pectorales, intercostales, &c. Alter vero  
est fibrarum carnearum ordo, qui eas complectitur, qua-  
rum actio nullatenus a voluntate animae, sed potius omnino  
ab oblatu stimulo & earumdem situ pendere videtur. Ma-  
xime posterioris huius ordinis fibrae curuo aut circulari  
iuxta inuicem sitae sunt ductu, rarius deprehenduntur re-  
ctilineae & decussantes. Insunt hae cordi, arteriis, tubo ci-  
bario, &c. Ut in progressu breuiores simus, vocabimus  
prioris ordinis *fibras muscularares*, quae voluntati subditae  
sunt, speciam animales; posterioris ordinis vero, quae ani-  
mae voluntati non obtemperant, organicas.

## §. XXXIII.

Praeter hoc autem aliud quoque, hoc in passu magis  
notatu dignum, fibras motorias corporis humani organicas  
& animales intercedit discrimen, quod breuibus hoc est: fi-  
brae muscularares organicae multo facilius a quodam stimulo  
ad motum excitantur, quam animales. In eo enim conue-  
niunt, quod a stimulo irritatae sponte sua breuiores eu-  
dant, & ita operationem suam absoluant. Motus vero hic

*Facilius a  
stimulo ad  
motum inci-  
tantur fibrae  
muscularares  
organicae,  
quam ani-  
males.*

D

constri-

constrictorius in fibris animalibus multo difficilius est excitatu, quam in organicis. Ita enim Illustr. v. HALLER (vid. eiusd. Prim. Lin. Physiol. §. CCCCX.): „Id discrimen videatur esse in musculis animae parentibus & iis, qui motu reguntur insito, quod isti magis irritabiles facillime a leui stimulo in motum cieantur, exemplo cordis &c. Contra musculi, voluntati obnoxii, minus facile & minus durabili sint potestate: hinc aut voluntatis egent efficacia aut stimulus fortiori, &c.„ E quibus HALLERI, obseruationibus & experimentis suffultis, elucescit, ratione stimuli cuiusdam determinati omnino maius & difficilius esse, motum excitare in fibris muscularibus animalibus, quam idem perficere in organicis.

## §. XXXIV.

*Turbato s-  
temate ner-  
voso saepe  
orientur  
convulsiones.* Perturbationem seu violentam alterationem cerebri & systematis nervorum, imprimis e dolore natam, saepius exercitare convulsiones non solum quotidiana fere experientia sed etiam celeberrimorum virorum testimonia satis superque docent. Ne enim omnia, quae iam HIPPOCRATES (Edit. a Charter. Epid. Tom. IX. p. 348.), BOERHAAVE (Aphor. 226. & 1075. n.2.) aliquie multi hac de re notarunt, enumerem, ea tantummodo in auxilium vocabo, quae experientia conuersus v. SWIETEN tradidit (Comment. in BOERH. Aphor. Tom. I. p. 364.), nimirum convulsionem esse effectum doloris, praecipue in iis, qui totum genus neruosum mobi-

mobilissimum haberent. Idem quoque testatur, infantibus ob termina intestinalium multories accidere conuulsiones, & semet vidisse puellam, odontalgiae obnoxiam, & conuulsionem frequentissime toto corpore, dum dolor recrudesceret. Quin quis est, qui nesciat irritationem cerebri & consequenter totius systematis neruorum alterationem, per festucam ossam in cerebro haerentem aut effusa ibidem fluida aciora productam, merito a pathologicis inter conuulsionum & epilepsiae causas referri (CONF. BOERHAAVE l. cit. §. 1075. n. 3.). Quae omnia si rite perpendimus, non possumus non affirmare, omnes violentas neruosi systematis affectiones, siue sint e dolore graui siue ex alio fonte obortae, re vera interdum producere conuulsiones.

SCHOL. Quae hic & sequentibus de dolore eiusque effectu notata legis, eadem non de ipso dolore, quatenus est idea siue notio, sed de violenta neruorum affectione, sine qua dolor esse nequit (§. XXII.), intelligenda esse, per se pater.

### §. XXXV.

Conuulsiones esse inuitos & praeter naturales musculorum motus, nemo medicorum ignorat. Quare cum perturbatione *Alteratio system. nervosiproducere potest motum fibram muscularum animalium.* neruosi systematis interdum excitare possit, & haud raro re vera excitet motum inuitum & praeter naturalem musculorum (§. antec.); & musculi e fibris motoriis animalibus constent (§. XXXI.): liquefit *alterationem systematis*

D 2

*neruo-*

*neruorum interdum excitare motum fibrarum carnearum animalium.*

§. XXXVI.

*Ergo eadem etiam sufficit ad excitandam febrem.* Maius est & difficilius, respectu cuiusdam stimuli, motum excitare fibrarum carnearum animalium, quam organum carum (§. XXXIII.). Quodsi ergo (vt modo monstrauimus §. antec.) neruosi systematis alteratio, etiam e dolore nata, producere potest, & reapse haud raro producit motum fibrarum carnearum animalium; eadem quoque sufficit, ad excitandum motum fibrarum carnearum organicarum (§. XXXI.). Cum vero cordis & arteriarum fibrae carneae sint organicae (§. XXXII.); comminorata systematis nervorum alteratio quoque sufficit ad promotiendum, immo, posito naturali vasorum stimulo, ad augendum & accelerandum motum cordis & arteriarum. Vnde nunc sponte patet, indicatum supra (§. XXX.) systematis arteriosi stimulum praeternaturalem, forinsecus per neruos ad vasa venientem, sufficere ad excitandam febrem.

SCHOL. I. Maxime contraria huic sententiae esse vindicantur, quae ZINNIVS supra laudatus aliquique proposuerunt, nimirum pulsuum saepè regularem nec turbatum manifeste, quamvis cerebrum fuerit magnopere laesum & vulneratum. Sed nil valent contra hanc rem factae eorum obseruationes. Primo enim si adsunt totius corporis aut saltem quarundam partium alternantes conuulsiones, pulsus accurate obseruari nequit ob frequentes tendinum & muscularum adiacentium subfultus & cerebros totius

cor-

corporis tremores. Deinde autem cum nullos obseruarunt motus conuulsuos, simul confessi sunt aduersarii, stupidum & timidum fuisse animal, aut vulnera cerebro inficta eiusmodi fuisse, ut non solum irritatum sed simul etiam compressum fuerit cerebrum, quae omnia experimentum dubium reddunt. Nam per sensoriū communis & nervorum alterationem & irritationem ut pulsus turbetur aut acceleretur, necessario requiritur, ut nullus timor, multo minus anxietas, nullum obstaculum aut interruptio respiratio- nis, & nulla denique cerebri & nervorum ad cor vasaque ten- dentium vel lenis compressio in aegro corpore adsit. Quare, ut saepius iam notauimus, supra (§. XXV.) enumerata phaenomena ex cerebro irritato non contingunt, nisi sana ceteroquin sit sub- stantia nervea. Sed plura de his infra. (Conf. ZINN. l. c. Part. II. §. 1. sequ.)

SCHOL. II. Multo magis amica vero nobis sunt multorum Ce- leb. Virorum testimonia, quae ex illorum scriptis hoc conuocare possem, si ita nimis longus forem. Omittam ergo quae HIP- POCRATES, naturae & experientiae familiaris senex, (Praenot. Coac. n. 75.) iam monuit, & ea tantum addueam, quae ma- xime nostrae parti beneuola videntur. Motum igitur cor- dis a cerebro irritato augeri fatentur v. HALLER (Prim. Lin. Physiol. §. c.) & ZINNIUS (L.c. Exper. V.). BOERHAVE testatus est, ex nervorum irritatione nasci febrem inflammatoriam (Eiusd. Aphor. 382. n. 8.), quibus felicissimus eius Commentator, v. SWIE- TEN, subiungit sequentia (Comm. in BOERH. Aph. T. I. p. 649.): „Ab irritatione fibrarum nervearum, per vasa &c., potissimum „febris (sc. inflammatoria) excitari videtur. &c. „ Tantorum vi- torum assensu suffultus acquiescam.

## §. XXXVII.

*Symptomata febris inflammatis obuiæ speciei.* Sufficit ergo data proxima cauſa, nimirum alteratio systematis neruosi, ad producendam febrim, inflammatio- nis comitem. Videbimus demum, vtrum eadem cauſa sufficiat quoque, ad producenda nostrae speciei febris inflammatoriae symptomata, siue vtrum etiam haecce e data cauſa explicari eorumque ortus indicari possint. Quem in finem obuiæ speciei febris primaria symptomata hic enumera- rabimus. Quae sunt 1) frigus seu horror febrilis sat nota- bilis, 2) aestus aut calor, qui paullo post succedit, & initio siccus esse solet ac veluti vrens, donec solutio quaedam be- nigna eum in sudorem vertat, 3) dolores magis aut minus acuti, in quodam corporis loco fixi, sub frigore paullo acer- biores, quam durante calore, 4) pulsus frequens, celer & durus, qui per totum febris decursum ita manet, 5) ce- phalalgiae, quae sub aestu sicco maxime sentiri solent, & modo magis modo minus graues existunt. Omnia haecce symptomata ita succedunt, vt alternantibus calore & frigore reliqua modo remittant, modo ingrauescant, ideoque tota febris formam continuae remittentis accipiat. Finitur de- dum febris vna cum inflammatione, & rarius in alteram septimanam protrahitur. Vnde merito haec febris inter acutas refertur.

## §. XXXVIII.

## §. XXXVIII.

Cuncta haec symptomata & attributa febris inflammatoriae nostri census si adhuc explicare & illorum rationem reddere vellem; nouum opus mouerem pluraque mihi imponerem, quam quae humeri ferre possent. Omittam ergo ea, quae cum aliis febrium speciebus nostra communia habet, quaeque in generaliori illarum pertractione expectari debent, & ibidem ab eruditissimis viris satis iam exposita sunt. Huiusmodi sunt, quae §. antec. n. 1. 2. 3. & 5. enumerauimus, quippe quae partim omnes, partim inflammatorias saltem cunctas febres comitantur. Frequentia & celeritas pulsus vnde sint, ex praediçtis (§§. I. XXXVI.) non solum facile cognosci, sed etiam in generali omnium febrium symptomatum explicatione pluribus legi potest. Eadem fere de forma obuiae febris vera sunt, quam in cunctis inflammatoriis & multis adhuc aliis eamdem deprehendimus. Restat ergo solummodo durities pulsus, quae singulare nostrae febris symptomata est (§. XII.), cuiusque ortum ex commemorata proxima febris obuiae causa nunc indicatur sumus.

## §. XXXIX.

Proxima ergo hactenus considerati morbi causa est stimulus praeternaturalis vasorum, aliunde per neuorum sifila forinsecus ad eadem propagatus, qui iners esset nec febrem incenderet, nisi fibrarum muscularium, quae cordis

*Quaenam  
hic explican-  
da sint sym-  
ptomata.*

*Vasa bac in  
febri semper  
sunt conser-  
ta.*

&amp;

& arteriarum texturam ingrediuntur, praeternaturalis constrictio fieret, itaque motus arteriosi systematis acceleraretur. Haec autem constrictio, quae ipsam quasi efficit febrem, cum pendeat ab alteratione neruorum, proxima febris huius caussa; haecque alteratio neruorum ortum debeat praesenti inflammationi, commemoratae eiusdem febris causae; & denique durante sufficiente caussa manere debeat effectus: facile liquet, tam diu hoc in passu manere fibrarum carnearum systematis arteriosi constrictionem continuam, quamdiu continua & sufficiens ad excitandam febrim maneat inflammatio, siue, quod vnum idemque est, quamdia ipsa nostri census inflammatoria perduret febris. Haec vero arteriarum constrictio quamuis continua sit & non interrupta per totum huius febris decursum; tamen negari non potest, eamdem vi ipsius cordis urgentis & sanguinis influentis ita superari, vt sanguis vasa transire queat. Nihilominus autem ob caussam, modo indicatam, remanet etiam in ipsa dilatatione vasorum fibrarum corundem constrictio aliqua, ita vt sanguinis vnda vix propelli possit. Quo in statu vasorum constrictionem incompletam vocare posses.

SCHOL. In ceteris febribus, quarum proxima causa sanguini admixta est, vna cum illo per vas propellitur, ideoque nec semper nec uno eodemque loco manere potest, longe aliter se rem habere, facile quisque, rem rite perpendens, percipiet.

§. XL.

## §. XL.

Fibra constringi non potest, nisi proprius ad se invicem  
accedant eiusdem particulae, ideoque solidior euadat ipsa.  
Hinc & muscularis fibrae, & quae ex iis constant, solidio-  
res & consequenter duriores euadere debent, si constrin-  
gantur istae. Sed quid est, quod ea aliis argumentis adhuc  
probare studeam, quae experientia satis & diu iam euicta  
dedit? Quem enim fugit, musculum ex constrictione sua-  
rum fibrarum sat conspicuum concipere duritatem? Constri-  
ctis ergo vasorum fibris carneis, & illa solidiora, duriora  
& magis elastica euadant, necesse est. Quam ob rem cum  
in nostra febris specie continua sit etiam in diastole vasorum  
constrictio, hoc in passu arteriae etiam in ipsa diastole du-  
riores & magis, quam par est, elasticae esse debent.

*Vasa in ea-  
dem febre in  
ipsa diastole  
iustodiora  
sunt.*

## §. XLI.

Pulsus in genere vocatur motus arteriae diastolicus. *Quid sit pul-  
sus durus?*  
Durus idem dicitur, si notabiliter & iusta maiori elasticitate in sus durus?  
tangentem digitum agit. (Conf. NIETZKI Elem. Patholog.  
vniuers. §§. CXXIV. CXXIX.).

## §. XLII.

Quum igitur in obvia febris inflammatoriae specie, e  
neruorum alteratione nata, etiam in diastolico motu nimis  
durae & elasticae sint arteriae (§. XL.); *mirum non est, ar-*  
*Hinc in ob-  
via febre i  
pulsus est du-  
rus.*

E te-

terias quoque hoc in casu notabili & iusta maiori elasticitate in tangentem digitum agere, sive, quod idem est, *pulsum esse durum* (§. XL).

## §. XLIII.

*Ergo prox.  
febrium  
causa non  
semper ha-  
ret intra  
vasa.*

Monstrauimus ergo haetenus, esse febres aliquas inflammatorias, quarum caussa est stimulus praeter naturam extra vasa natus, & aliunde per neruos ad eadem propagatus; & quidem propterea quod 1) his in febribus deficit stimulus intra vasa alienus, qui pro caussa illarum proxima haberi possit (§§. XIV-XIX.), 2) adeat stimulus extra vasa modo indicatus (§§. XX-XXX.), 3) idemque sufficit ad producendam febrim & excitanda eius symptomata (§§. XXXI-XXXII.). Quibus positis videmus, *causam proximam omnium febrium uniuersalem non esse stimulum quemdam praeternaturalem intra vasa haerentem, aut alienum sanguini admixtum* (Conf. §. IX.). Possem igitur quasi perfecto opere calatum nunc deponere & finire laborem, nisi ante (§. X.) promiserim, problemata quaedam, quae sponte e praemissis resultare videntur, adhuc considerare &, si possem, soluere. Quorum ergo expositionem nunc subiungemus.

## §. XLIV.

## §. XLIV.

Experientia teste nouimus, haud raro occurrere inflammations, quae aut plane nullam, aut saltem non eam, quae est cum pulsu duro, excitant febrem. Quaeritur inde, quaenam huius ratio sit? Quum febris nostra pendeat a neruorum quorumdam affectione & inde orta totius systematis neruosi praeternaturali alteratione; liquet hanc febrem non excitari, quamvis praesto sit inflamatio, eius remotior causa, si affectio dicta quorumdam neruorum & inde pendens alteratio omnium non sufficient ad accelerandum cordis & arteriarum motum. Hoc autem esse potest, 1) si inflamatio non est satis magna & lenior, quam quae sufficientem neruorum alterationem procreare possit. Vnde est, quod in leuissimis inflammationibus saepe nulla febris obserueretur. 2) Si inflamatio partes occupauit, quae parum sensibiles sunt, nec tantum habent neruorum copiam, ut iisdem affectis sufficiens nascatur reliqui systematis neruosi alteratio. 3) Si simul cum inflammatione in eodem corpore concurrunt conditiones, quae torporem aliquem corpori inducunt, itaque impediunt, quo minus facta neruorum alteratio rite ad cerebrum & inde per reliquos neruorum ramos penetrare & propagari possit. Cuius ordinis sunt v. c. nimia humorum in putredinem pronitas, deinde quae liberum sanguinis per encephalum cursum

E 2

*Cur febris  
commemora-  
ta non  
omnem in-  
flammatio-  
nem subse-  
quatur?*

tur.

turbant aut impediunt, aut saltem eumdem iusto magis inde deriuant, veluti respiratio suppressa, timor & anxietas, compressio cerebri, &c. (Confer. §. XXXVI. Schol. I.). Hae circiter sunt rationes, quas febris commemoratae ortum impedire adhuc nouimus.

## §. XLV.

*Nun ex ear-  
dem prox.  
causā ori-  
etur omnes  
inflammat.  
febres?*

Altera nobis sit quaestio: vtrum commemorata ner-  
uorum alteratio sit vniuersalis omnium inflammatoriarum  
febrium causā; an etiam sint febres huius nominis, quae or-  
tum suum inde non trahant? Sunt eiusmodi febres, quae  
ex alio profluunt fonte, & inflammatoria dicuntur. Qua-  
rum prima se nobis offerre videtur Peripneumonia vera.  
Eamdem praeter alia symptomata quoque annunciat irre-  
gularis & mollis pulsus, natus ex impedito sanguinis libero  
fluxu per pulmones, & inde oborro totius corporis aliquo  
torpore (Conf. §. anteced. num. 3. & v. SWIETEN lib. sae-  
pe cit. Tom. II. §. 883.). Num vero haec febris ex sola  
impedita sanguinis per pulmones circulatione sit oborta,  
numque omni iure febris dici possit? nescio. Porro huc  
spectant febres quaedam, quae a nonnullis inflammatoriae  
malignae dicuntur. Hasce enim e nimia humorum in re-  
solutionem putridam procliuitate oriri, nomen & sympto-  
mata illarum satis superque docent. Vtrum vero haec fe-  
bres merito salutentur inflammatoriae, cum inflammatio si-  
multa-

multanea potius illarum symptoma quam caussa sit, dubito. (Conf. §. XII.)

## §. XLVI.

Vltimo demum perpendamus, num ex commemorata quarumdam febrium inflammatoriarum caussa proxima, scil. ex neruosi systematis alteratione, praeter eas quoque aliae febres ortum ducant? Pro nostra quidem sententia omnino sunt febres aliae, quae ex eodem fonte profluunt, & quidem quae ex animi turbatione nascuntur. Iram harum, quas alii commotiones febriles vocare malunt, febrium foecundam esse matrem, nouimus. Breuissimae saepius sunt eaedem, & haud raro absque notabili crisi sponte sedantur. Quomodo hic aeria aut aliis generis aliena intra vasa suspicari possumus? Alterationes neruorum autem haud absque ratione suspicamur. Sed penitus satisfacere huic quaestioni, penes alium sit. Nostra quidem hac de re sententia adhuc mera est opinio.

## §. XLVII.

Hactenus quaestiones. Possem demum dicta ad the-  
rapiam febrium nostri censu inflammati-  
oriarum applicare; possem facili negotio monstrare, cur adeo aestimanda sit in  
curandis hisce febribus venaectionis, temperantium, anti-  
pasticorum &c. utilitas & praestantia, quid valeant hic  
Conclusio.

E 3

anody-

anodyna remedia , cur mali ominis sit in graui inflammatiōne huius febris emanſio , &c. (vid. §. XLIV. num. 1.  
& 3.). Sed ne tranſeam scopum , hoc in paſſu  
ſiſtam.

## T A N T V M.

E R R A T A T Y P O G R A P H I C A,  
Q V A E E X C V S E T B. L E C T.

- Pag. 3. lin. 3. loco fit lege fit.
- pag. 6. l. 23. — LXXXIX. l. LXXXIX,
- pag. 10. l. vlt. — queunt. l. quimus.
- pag. 16. l. 19. — defintate l. densitate.
- pag. 23. l. 4. — interni l. internae.
- pag. 24. lin. 9. — XXX. l. XXXI.



P R A E-


PRAENOBILISSIMO ET PRAECLARE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO

S.

P R A E S E S.

Praeclara sunt ingenia, quae ad doctrinam et virtutes gloria inuitantur, quae inuisitata virtute morumque probitate se omnibus reddunt conspicua, quae indefessis laboribus et curis ex diffuso scientiarum ambitu uberrimos hauriunt fructus. Horum in numerum TE, PRAESTANTISSIME DOMINE CANDIDATE, iure referendum esse duco, qui maturis studiis anatomicis et medicis imbutus, partim Georgiam Augustam adiisti, partim Fridericianam nostram salutasti, tempusque infer assiduos labores, discendo, meditando, legendo, obseruando, etiam cum valetudinis Tuae detimento, per plures annos transegisti, adeo quidem, ut te in Doctorum cohortem praecepitare nolueris, nec titulum Doctoris praecario possidere amaueris, sed ibi maxime laudari volueris, ubi maxime laudari meruisti. Etenim praeter egregios, Ordini nostro vitroque in examine abunde demonstratos profectus, praesens proprio, ut aiunt, marte, docte elaboratum specimen in-

augu-



augurale, quod primus, genuinus et maturus ingenii **TUVI** partus est, luculentum eruditionis, in arte salutari acquisitae, exhibet testimonium. Quum igitur, monente SENECA, *dignos laudare, honesta sit actio*, ita propria **TUVA** opera laudabant artificem, eamque ob causam superuacui laboris esse existimo, operosius in encomia **TUVA** ferri. Agam potius, quod res est. Elegisti me non tam defensorem Dissertationis, docte conscriptae, quam potius eruditionis **TUVAE** testem. Hinc, quum gratiosus Ordo Medicus, **TE**, non nisi supremis ornatum dignitatibus dimittere voluerit, ex unanimi eius consensu et decreto, fauente Summo Numine, cuncta luce, supremos, bene meritos, **TIBI** tam in Medicina, quam Chirurgia, conferam honores. Primum autem **TIBI**, ut debo, gratulor laetorque cum praesente **TUVA** dignitate et felicitate, tam sperata maiore, nihil magis in votis habens, quam ut in decus ac ornamento Reipublicae medicae, et mulitorum aegrotorum solatium viuas quam diutissime saluus et fortunatus. Vale. Dab. e Mus. d. XI. Decembr. c*l*o*c*cc*l*xvii.



Ua 4235

ULB Halle  
001 500 996

3



sb





13

DISSESSATIO MEDICA  
DE  
**PROXIMA FEBRIVM**  
ET IN SPECIE  
**INFLAMMATORIARVM**  
**QVARVMDAM CAVSSA**

Q V A M  
DIVINI NVMINIS AVSPICII  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,  
D O M I N O

**D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO**  
MEDICIN. ANATOM. ET CHIRVRG. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO,  
ACADEM. CAESAR. NATVRAE CVRIOSOR. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL.  
NEC NON REGIAR. BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRG. SODALI.

**PRO GRADV DOCTORIS**  
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE  
SVMMISQVE IN VTRAQVE HAC SCIENTIA HONORIBVS  
ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CAPESSENDIS  
DIE XII. DECEMBRIS C<sup>1</sup>3 I<sup>o</sup>CC LXVII.  
PVBLICE DEFENDET  
A V C T O R

**ADOLPH. FRIDERIC. THEODOR. BRÜCKNER**

M E G A L O P O L I T A N V S.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.